

Letter 588a: [Before 10 January 1536, Strasbourg], Capito to Johannes Zwick

Capito's letter is no longer extant, but Zwick cites a lengthy portion of it in a letter to Bullinger, dated 10 January 1536. Printed in HBBW 6:61–2, Ep. 720, ll. 2–34.

Ex literis Capitonis ad me hac ipsa hora datis quaedam ad te scribere libuit, cum forte hanc mulierem iam iam abiturientem deprehenderem. “Oravimus,” inquit, “ut efficeres apud Tigurinos, ne suae promissioni deessent. Nunc autem scribis illos promissis staturos et nobis aequa responsuros. Non autem explicas, quae, et an velint, ut polliciti sunt, convocati cum aliis Helvetiorum evangelistis sui nobis copiam Constantiae vel Basileae facere, et nisi id tu curaturum te cum spe recepisses, curassemus illos alia via praeparari. Etenim agnoscis, Zuicci, quid mali parere possit, si soli Helvetici fratres generali illa ecclesiarum concordia excludantur, nunc maxime, cum ipsi de se tantam fecerunt spem. Ubi in magno illo conventu a principibus et ecclesiastis rogati fuimus: ‘Ecquid de ecclesiastis Helveticis?’ quid respondebimus? Dicemusne: ‘Nihil intentatum reliquimus, quo illos de omni causa coniunctim alicubi appellaremus, et illi promiserant se sui copiam facturos, et ni fecissent, se sacrilegio ipsi obligarunt. Attamen non potuimus illos nec per nos nec per alios ulla ratione percellere, ut starent promissis suis sustinerentque nos de hac causa alicubi convenire et eam in communi tanquam coram Domino excutere, idque, cum scripserint pridem ad nos nulla re a nobis provocati librum Ad Monasterienses docte et pie scriptum mentem ipsorum expressisse et spiritui ipsorum testimonium perhibuisse’ etc.? Novimus omnes contra Deum nulla stare promissa posse, atqui negare enixe adeo efflagitatum et toties promissum conventum pium esse non potest, nisi nos, qui eum efflagitamus, aut impii aut prostrus [sic] inepti ad causam Christi cum illis tractandam simus. Speramus autem neutrum illos de nobis iudicare, et ut multa in nobis desyderent, dum Christi tamen, ut confidimus, studium nobis concedunt, animare utique eos debuerat contra omnia, quae ex nostro conventu metuere possunt, vel sola illa praeclara Domini Iesu promissio: Ubi cumque duo vel tres in nomine, etc. Mittimus nunc, quid poscat vera dilectio et quam faciles, imo ardentes ipsi apostoli fuerunt sui copiam facere, eam ferentibus modo, nedum tam efflictim expetentibus. Novit item Christus, salus nostra, optime Zuicci, quam hic salutem istarum ecclesiarum synceriter sitimus. Ad haec, ut ingenue dicamus, certi sumus in Domino, si audire nos dignarentur, nos hactenus consensuros, ut id maximum momentum allaturum sit ad illustrandam gloriam Domini”, etc.